DISSERTATIO INAVGVRALIS JVRIDICA,

SISTENS

DIVERSA DVBIA QVIDEM VEXATA, ET MAXIMAM PARTEM FEVDALIA AC EQVESTRIA, PRAXI TAMEN IN FRANCIA ORIENTALI FIRMATA,

QVAM

AVXILIANTE NVMINE DIVINO,
IN PERANTIQVA ELECTORALI VNIVERSITATE
ERFORDIENSI

EX DECRETO ET AVCTORITATE
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS,

PRÆSIDE
MAGNIFICO, PRÆNOBILI ET CONSVLTISSIMO VIRO,

DN. CONR. WILHELMO Strecker,

ICTO, IVRID. FACVLT. ET IVDICII ELECT. PROV. ASSESS. COD. PROF. PVBL. ORDINAR, NEC NON CIVIT. ERFORD. SYND. PRIMARIO, CONSVLE ET CAVSAR. TVTELAR. CONSVLENTE,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN VTROQVE JVRE HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
RITE ET SOLEMNITER ADIPISCENDIS,
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXPONET

AVCTOR

JOANNES ADOLPHVS Auffdiener/

RANIS. OSTERLANDVS,

PERILLVSTRIS GENTIS DOMINORVM BARONVM DE THVNGEN DOMVS SIC DICTÆ LVZIANAE IN FRANCIA ORIENTALI ADVOCATVS ET Geſammter-Amtmann DYNASTIARVM ZEITLOFS ET VVEICKERSGRVBEN.

IN AVDITORIO ICTORVM MAIORI
DIE II. MAJI M DCC XXXVI.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

VERITATI
ET
JVSTITIÆ.

PRÆLOQVIUM.

SUmmos in jure honores ambiens & deliberans, quam potiſſimum diſſertationis materiam ſumerem, primum aliquo modo hæſitavi; Tandem autem reputanti mecum, quod in utilitatem publicam de rebus juridicis ſcribentes, vel jura prolixa ſuccincte contrahant, & fuſe ſparſimve poſita in ordinem redigant, vel omiſſa ſuppleant, ac per rationes legitimas decidant, vel denique obſcura & dubia practice declarent, poſtremum ſcribendi genus materiamque eligere, & idcirco *de diverſis, & maximam partem equeſtribus, dubiis vexatis quidem juris noſtri, praxi tamen, minimum in Franconia inter immediatam nobilitatem firmatis*, breviter ſimpliciterque & quantum præſens temporis anguſtia permittere voluit, diſſerere in mentem venit, ulterioremque explanationem alii tempori & ſcripto peculiari, opitulante Deo, reſervandam

Digitized by Google

ſatius eſſe duxi; Supremum igitur iſtud Numen precor, ut & his cœptis noſtris ſua ope adeſſe velit. A te autem benevole Lector, peto, laborem noſtrum ſic in bonam accipias partem, ut humanitate tua levatus potius, quam in tam ſpinoſa materia cenſuræ acerbitate violatus eſſe videar, cum omnium rerum habere exactiſſimam notitiam & penitus in nullo peccare vires humanas excedat. Vale, ſis incolumis, ſis florens, ſis beatus.

§. I.

Primum dubium vexatum.

Dubium igitur primum ejusmodi in praxi valde vexatum eſt: An vaſallo Franconico Brandenburgico liceat, bona Laſſitica, nec non operas indeterminatas ſine conſenſu Sereniſſimi Domini directi, & agnatorum pro certo pretio alienare, & in bona & jura hæreditaria mutare, pecunia tamen ex alienatione iſta redacta, neque in feudi, neque in gentis ſuæ utilitatem publicam, ſed in proprium uſum verſa? Extitit nimirum in Franconia in certa perilluſtri gente immediata ex diverſis lineis conſiſtente, caſus, quod iſta gens nulla allodia, ſed mera feuda maſculina antiqua & ex pacto & providentia majorum auf Nahmen, Stamm, Schild und Helm directa, & à Sereniſſima Domo Brandenburgica Onoldina relevantia, interque iſta multa etiam bona Laſſitica poſſideret, agnatus vero etiam certus, tam quod quidem magnam partem iſtorum bonorum feudalium Laſſiticorum & operarum indeterminatarum, nullam autem ſpem maſculæ prolis haberet, quam quod ex ficta & cerebrina quadam æquitate licitum ſibi eſſe putaret, ſeſe ejusmodi bona & jura, irrequiſito Domini Directi & agnatorum conſenſu alienare poſſe, per venditionem ſibi ſubditis Laſſiticis pro certo pretio in emphyteuſin in hæreditariam æternam traderet, mortuo autem iſto vaſallo ſine dicta prole maſcula, & feudis iſtius ad proximos collatera-

les

les ex pacto & providentia, & allodium ejus repudiantes, devolutis, quæſitum fuit: utrum revocatio alienatorum bonorum dictorum Laſſiticorum & operarum indeterminatarum feudalium locum habeat, an non?

§. II.

Antequam autem ad reſolutionem quæſtionis progredimur, pauca ad perſpicientiam dictorum de Laſſis iisdem Franconicis & eorum bonis, de quibus jam ſermo eſt, quæque in complexu certæ dynaſtiæ ſita, præmittenda ſunt. Qua occaſione notandum eſt, Laſſitica noſtra bona Franconica quoad dominium & cætera ſingula requiſita, ſcilicet ratione operarum indeterminatarum, certarum penſionum annuarum, in pecunia, ſtumento, gallinis, præſtandarum, decimarum, omniumque onerum realium & perſonalium aliorum, nec non reſpectu mortuarii, des Beſthaupts, Laudemii des Schenckgelds pro conceſſione prædii Laſſitici, cum iis, quæ perilluſtris, Dn. Cancellarius de LUDWIG in tractatu ſuo valde erudito de jure clientelari Cap. V. late deſcripſit, & præcipue ratione definitionis, maximam partem, convenire, quod nimirum ſint prædia, quæ ea lege elocantur, ut pro arbitratu tantum Domini & locatoris queant revocari. *vid. ibid. §. 5.* Dixi autem, quod quoad maximam partem conveniant; nam excipiendum eſt primo, quod moribus modernis in Franconia dicta invaluerit, ut terminus expulſionis à Domino decretæ ſolummodo ſit dies Martini, uti extractus relationis Commiſſariorum equeſtrium pagi Franconici immediati Rœhn Verrenſis ſequens docet:

Actum N. den 6. Nov. 1703.

Nachdem man nun die erſt dermahlen heraus gebrachte Kauff- und Erb-Brieffe angeſehen, und gegen den neuen (ſc. Reichs-Ritterſchafftlichen Steuer-Matricular-) Taxations-Auswurff gehalten, hat ſich ein erſchrecklicher Abfall und Ohngleichheit der Urſachen ereignet: daß alle dieſe Güther (ſc. wie in primo caſu ſuperiori alſo auch in daſigen übrigen gantzen Gerichte) Laß und von ſolcher Beſchaffenheit, daß die hohe

Herrſchafft Macht hat, jeden Unterthanen auf Martini auszubiethen, da er denn Güther und Beſſerung, nebſt dem halben Futter verlaſſen, und ſamt ſeinen Mobilien davon gehen muß, dargegen werden ſie um ein gering Geld vererbt, weil eine jedesmahlig ſuccedirende Herrſchafft ſothane Erb-Contracte (ſi ſcil. anteceſſoris hæreditatem repudiat, & ſola ſeuda antiqua retinet) umſtoſſen kan ꝛc. Deinde excipe etiam, quod hoc moribus Franconicis inſuper acceſſerit, ut nec minus Laſſo liceat, ſi velit, in dicto termino Martini ſub relatis conditionibus, invito etiam Domino ſuo, emigrare, quamvis per longum tempus de poſteriori caſu nullum exemplum extiterit, cum Laſſi in hodierna multitudine immenſa hominum victum & amictum quærentium, contenti ſint, ſi modo Dominus iſtos cum Familia bonis dictis Laſſiticis non expellat.

§. III.

His igitur præmiſſis, fundamenta utriusque partis eo luculentius in oculos incurrent. Quamquam enim venditi Laſſi

a) quod prædia ſua Laſſitica nulla nobilia & feudalia ſed pure ita dicta bona ruſtica Laſſitica eſſent, quorum traditio per venditionem nequaquam ad extraneos, ſed ad ipſos Laſſos & veteres colonos in emphyteuſin hæreditariam & æternam ultra centum annos in perilluſtri gente dominorum ſuorum conſuetudinis fuiſſent, ſimulque in iſtum finem ex jure ROSENTHAL *de feud. C. 9. Concl. 48. n. 8.* allegabant; porro

b) quod ejusmodi alienationes feudali caſtro non damnoſæ, cum etiam multæ terræ incultæ itidem ſimul in Emphyteuſin datæ, & pretia quoad partem, in feudum verſa fuiſſent, ideoque magis pro aliquali ſubinfeudatione licita, quam pro mera alienatione reputandæ eſſent, nec non

c) quod in eventuali caſu non licitæ venditionis, Laſſos ut

Digitized by Google

ut ſimplices ruſticos ignorantia ſubtilitatum juris excuſet, præterea,

d) quod Tutores Dominorum Actorum in multos ejusmodi contractus conſenſum nomine pupillorum ipſi dederint, & iccirco contractus validos eſſe judicandos, aut minimum pretium emtitium & meliorationes iſtis Laſſis refundi debere opponebant: Tamen rationes Dominorum & Actorum collateralium revocantium:

1) quod revocantes defuncti vaſalli collateralis allodium repudiarint, & ſola feuda antiqua, exque pacto & providentia majorum retinuerint, & ex iſtis cauſis factum defuncti collateralis iſtis Actoribus præjudicare non potuiſſe

II. feud. 39. verb. niſi agnatis conſentientibus &c.
II. feud. 26. §. Titius &c.
II. feud. 45. & 55.

2) quod præter prohibitionem juris communis feudalis, ejusmodi alienationes etiam à Domino directo ſub pœna caducitatis olim ſpecifice prohibitæ fuerint; quod porro &

3) contra pacta prohibitiva familiæ periliuſtris in actis probata & allata, ejusmodi alienationes factæ fuerint.

4) quod feudi deterioratio etiam mutatione interveniente fiat, BESOLD *part. 2. Conſ. 57. n. 40.* & revera diminutio annuorum redituum ad 400. florenorum à tempore iſtarum alienationum & mutationum operarum indeterminatarum noſtro in caſu facta & in actis probata fuerit;

5) quod omnis pretii ex venditione ad 3000. florenorum percepti verſio in feudum non facta ſit, & iccirco

6) feudum ſine conſenſu Domini & agnatorum alienatum, ſine refuſione pretii etiam vindicetur ab agnatis. GAIL *part. 3 Conſ. I. n. 5.* &

7) quod conſuetudo bona Laſſitica ejusmodi ſine conſenſu directi & agnatorum alienandi in actis non probata, &

 8) quod

8) quod eventualiter Dominus directus & agnati non conſentientes vaſallo ſubinfeudante ſine prole defuncto, ſubinfeudationem iſtam ratam habere non teneantur. *per textum I. feud. 4. §. ult.*

9) Ignorantia autem juris Laſſis acquirere volentibus non proſit

L. 9. ff. de jur. & fact. ignor.

10) quod regreſſus ratione evictionis adverſus allodiales hæredes venditoris Laſſis non abnegetur; interimmiſtice autem operæ determinatæ & alia mutato modo vendita præſtanda, à reis & Laſſis cum proteſtatione de ſeſe non præjudicando, ſed in fine proceſſus computationis faciendæ, utra pars alteri adhuc exſolvere debeat, acceptata fuerint;

11) quod Tutorum conſenſus abſque decreto & atteſtato judicis equeſtris ordinarii ſcil. caſum neceſſariæ venditionis adfuiſſe, nullius momenti, quodque

12) pretium etiam iſtud in feudum omni ex parte non verſum fuerit, prævaluerunt; & propterea illuſtriſſima Curia feudalis Brandenburgico-Onoldina, poſt transmiſſionem actorum, ex officio ad impartiales decreta, ſequentem ſententiam ſuper hoc Imo dubio vexato publicavit

In Sachen N. von N. und N. von N. als über Weyland N. von N. hinterlaſſener unmündigen Söhnen, conſtituirter Vormünder, Klägern eines; wider einige in Actis benamte Lehnbare Unterthanen zu N. Beklagte, andern theils, erkennen des Durchlauchtigſten Fürſten und Herrn, Herrn Willhelm Friedrich, Marggrafen zu Brandenburg zu Magdeburg und Preuſſen, Stetin, Pommern der Caſſuben und Wenden, auch in Schleſien zu Croſſen Herzogen, Burggrafen zu Nürnberg, Fürſten zu Halberſtädt, Minden und Camin, Grafen zu Hohenzollern ꝛc.

Verordnete Hof-Raths-Præſident, Geheimde und Hof-Räthe zu Onolzbach uf eingeholten Rath auswärtiger Rechtsgelahrten, allen Ein- und Vorbringen nach, hiermit vor Recht: „daß

„daß Beklagte die von Weyland N. N. von N. ohne Lehnherrl.
„Conſens alienirte Laß- und ungemeſſene Frohn-Güther quæ-
„ſtionis nebſt denen à tempore litis conteſtationis erhobenen
„Früchten, und ſo viel ſie deren einheben können, ohne Wieder-
„erſtattung einiger Kauffgelder, auſſer derer ins Lehn verwende-
„ter vierhundert Reichsthaler und erweißlicher Meliorationen,
„jedoch mit Vorbehalt ihres in puncto evictionis, wegen der
„übrigen Kauffgelder, an des Alienatoris Allodial-Erben ha-
„benden Regreſſus, abzutreten ſchuldig ſeyn, immaſſen ſie krafft
„dieſes hierzu condemnirt und angewieſen werden, mit Ver-
„gleichung der Unkoſten, von Rechtswegen.

(L. S.) Daß dieſes Urtheil denen Rechten gemäß, bekennen wir Decanus, Doctores & Profeſſores der Juriſten Facultät bey Fürſtl. Heßl. Univerſität zu Gieſſen, urkundlich unſers hierneben aufgedruckten Facultæts Innſiegels.

publicirt in der Hochfürſtl. Brandenbl. Onolzbachl. Lehns-Regiſtratur-Stuben zwiſchen 8. und 9. Uhr Vormittags den 4. April. 1704.

§. IV.

Et licet Laſſi dicti reique in prima hac inſtantia victi iſto tempore ab hac ſententia ad illuſtriſſimum conſilium Imperiale aulicum appellantes ibidem ulteriores per magnos motus machinati ſint: Nihilominus tamen confirmatio prioris ſententiæ, & executio per Commiſſionem Cæſaream aliquot annos poſt ſecuta eſt, ſicque de hoc genere revocationis bonorum Laſſiticorum ſine conſenſu Domini directi & agnatorum à collaterali agnato alienatorum licitæ, & deciſæ, nulla amplius reſtat dubitatio.

§. V.

Sed cum etiam ante paucos denuo annos iisdem ſupra dictis perilluſtribus Dominis Actoribus iterum alio agnato colla-

Digitized by Google

collaterali ſine prole maſcula defuncto, repudiatoque ejusdem à dictis Dominis Actoribus allodio, diverſa alia caſtra & feuda Brandenburgica antiqua ex pacto & providentia majorum devolverentur, quæ feuda defuncti maſculi majores ante centum annos ab aſcendentibus Actorum per emtionem acquiſiverant, & inveſtigatione exacta omnium bonorum per ſucceſſionem devolutorum inſtituta, compertum fuiſſet, quod itidem ex his bonis feudalibus noviter delatis, per multa & maximi momenti bona Laſſitica iterum partim cum determinatis operis, partim vero cum totali exemtione ab omnibus operis & decimis, cumque aliis privilegiis, utpote juris gratis lignandi in ſylvis feudalibus, cætera, ſucceſſu temporis tam à dicto collaterali defuncto, ejus patre, & aliis ejusdem anteceſſoribus collateralibus, pro magnis & 15000. imo plura adhuc millia florenorum excedentibus, nec in feudum, ſed in ipſorum allodium verſis pecuniæ ſummis, quam ante centum annos ab ipſis aſcendentibus Dominorum Actorum, nimirum à proavo, abavo, propatruo & atavo (& quidem ab his poſterioribus non tam multa, quam à dictis collateralibus, ſed tantum pauca & plerumque titulo donationis ſuis clientibus (Favoriten und Dienern) ſine conſenſu Domini directi & agnatorum, non minus ac in reſoluto ſupra dicto primo caſu, in maximum præjudicium & deteriorationem apertam Caſtrorum feudalium alienata eſſent, & his de cauſis ſæpe nominati Domini Actores non ſolum ſtatim tempore delatæ ſucceſſionis coram diverſis Notariis & teſtibus in deſuper duobus inſtrumentis publicis confectis proteſtati ſint, ſeſe neque collateralium, neque ipſorum ſuorum aſcendentium facta feudis tam nociva præſtare, aut contractus ſervare, ſed etiam declarationem hanc adjunxerint ante proceſſum revocatorium & durante eo, ſeſe iterum coacto quaſi modo, aut uti ajunt, nolentes volentes, ad majus malum & totalem interitum feudi vitandam, quemadmodum ante triginta annos etiam in ſimillimo ſupra relato caſu licite practicatum fuiſſet, tantum interimmiſtice & cum proteſtatione, ſalvo ſuo jure, ſalvaque computatione finali finito proceſſu

Digitized by Google

ceſſu ſuſcipienda, operas determinatas & alia præſtanda acceptare velle; Ex iſtis circumſtantiis IIdum enaſcitur dubium ulterius: An hi ſucceſſores Collateralium alienationes dictorum bonorum Laſſiticorum & jurium etiam hoc in caſu ſecundo ſervare teneantur? & ex reſolutione dubii vexati Imi ſuperioris ibidemque allatis fundamentis facile deciditur, quod & in hoc ſimillimo caſu collateralium facta, quorum allodium repudiarunt, præſtare non debeant, quodque in ulteriori ante ſex abhinc annos contra Laſſos ejusmodi ab ipſis in tentato novo proceſſu pro iſtis Actoribus felix litis exitus futurus ſit, nec minus porro exinde hoc tertium & quidem multo majus dubium vexatum exiſtit: IIdum Dubium vexatum.

Annon Domini Actores forte, & minimum, (quamquam pauciores & titulo donationis factas) operarumque indeterminatarum ad determinatas mutationes, quas eorum proavus, propatruus, abavus, & tritavus, ut aſcendentes ſine conſenſu Domini directi & agnatorum ante centum annos peragere conati ſunt (cum nihilo ſecius in aprico ſit, quod in idem præjudicium manifeſtum feudi cedant, uti aliæ alienationes præcedentes collateralium) delata nunc demum poſt dictos centum annos, ex mero pacto & providentia majorum ad Dominos Actores ſucceſſione, ſervare & ſæpe nominatorum aſcendentium facta præſtare debeant, nec ne? Et nos ut cauſæ iſtius adhuc ſub judice non deciſæ, verſantis patronus negativam, quod ſcilicet Domini Actores etiam per ejusmodi contractus aſcendentium, utpote in magnum præjudicium feudalium caſtrorum factos, minime ligentur, ex jam adjungendis fundamentis juris defendimus. III. dubium vexatum.

§. VI.

Equidem non negandum eſt, quod 1) notiſſimus textus *II. Feud. 45.* nobis, de praxi Franconica differentibus, aperte & valde obſtare videatur. In iſto enim duo caſus deciſi inveniuntur.

Si contigerit, vaſallum ſine omni prole decedere, agnatus, ad quem univerſa hæreditas pertinet, repudiata hæreditate, feudum, ſi paternum fuerit, retinere poteſt, nec de Primus.

debi-

Digitized by Google

debito hæreditario aliquid feudi nomine ſolvere cogitur (ſive quod brevius & luculentius idem dictum eſt: agnatus collateralis non debet præſtare factum defuncti Vaſalli, niſi ſit ejus heres etiam in allodio, quod tamen retento feudo, repudiandi licentiam habet.)

Secundus. Ubi vero filium reliquit, ipſe non poteſt hereditatem ſine beneficio (i. e. ſine feudo) repudiare, ſed aut utrumque retineat, aut utrumque repudiet (i. e. brevius filius & deſcendentes alii, ſi in feudis ſuccedere velint, debent etiam præſtare factum aſcendentium ſuorum, nec allodia eorum repudiandi, & feuda tamen retinendi licentiam habent, ut à facto eorum præſtando ſeſe liberent.) Præterea 2) non negamus, quod ex allegati textus verbis concludendum ſit; Ergo ſequi, quod Domini Actores neque patris ſui, & hic nec avi, & ſic porro aliorum aſcendentium, qui ante centum annos ejusmodi alienationes in feudis, adhuc hodierno die nocenter cônati ſunt, hæreditatem allodialem, retentis feudis, repudiare, & per ejusmodi repudiationem à præſtandis factis eorum ſe liberare non potuerint, ſed quod è contrario Domini Actores, utpote deſcendentes, & non ſolum heredes feudales, ſed etiam ſimul præſuppoſiti heredes neceſſarii in hereditate allodiali aſcendentium, iſtorum contractus ratione alienatorum bonorum Laſſiticorum & operarum indeterminatarum ſervare, eorumque facta præſtare teneantur. Non negamus 3), quod etiam tam differentes opiniones & interpretationes Feudiſtarum ſuper hoc textu allegato ſint, ut JCtorum in Academia Ingolſtadienſi, tam ſua ætate, quam adhuc poſt cineres noſtro tempore, facile celeberrimus ANDREAS FACHINEUS *Controverſ. Jur. Lib. VII. Cap. V. lit. C.* aperte & ingenue confiteatur, inſignem controverſiam eſſe, quomodo dicta regula *II. f. 45.* accipienda ſit, quatuor enim deſuper Doctorum exiſtere ſententias; quarum prima, accipiendam eſſe iſtam regulam de feudo, quod vocatur hereditarium.

§. VII.

Aſt cum etiam Doctores in definiendo hoc genere feudi

di hereditarii ſcilicet, non minus adeo diſcrepent, ut iterum formulam octo diverſorum criteriorum & differentiarum feudi hujus à feudo ex pacto & providentia, nec non à feudo feminino HORNIVS in *Juriſprud. feud. appendice ſub num. V.* aſſerat: eo benevolum lectorem remittimus, & definitionem STRYKII *in examine juris feudalis Cap. IV. qu. 45.* datam: feudum mere hereditarium eſſe illud, quod pro ſe & heredibus quibuscunque conceſſum, & in quo perinde ut in rebus allodialibus ſuccedatur in tanta diſcrepantia Doctorum quidem amplectimur: addimus tamen, quod

a) illud germanice nicht ſowohl ein eigenthümliches Lehn-Guth, uti

STRYK. in *cit. quæſtione 45.*

idem appellat, ſed potius ein ſchlechtes, rechtes und bloſſes Erb- und eigenthümliches Lehn-Guth vocandum, cujusque tanquam feudi abſolute hæreditarii natura eadem ſit, quæ bonorum omnium aliorum allodialium,

vid. REICHENBACH. *in not. & addition. ad diſputationem Schnobelian. VI. §. 18. lit. (bb).*

STRUV. *Synt. jur. feud. cap. 4. aph. 13. n. 2.*

hac tamen adhuc ulteriori obſervatione ex eodem,

STRYKIO *c. l. qu. 46.*

annexa, quod

b) ſolummodo ratione fidelitatis, quæ omnem formam feudi abſolvit, reſpectuque

c) petendæ inveſtituræ

d) & ſervitionum præſtandarum (ſi in iſta tamen regione recepta ſint) à reliquis bonis allodialibus differant. Porro

e) annotamus, quod in genere ſub clauſula ſupra dicta: pro ſe & hæredibus quibuscunque, vor ſich und ſeine Erben, item vor alle ſeine Erben und Nachkommen, vel vor ſich, alle ſeine Erben und Erbnehmen, contineantur non tantum hæredes deſcendentes, ſed etiam aſcendentes, & collaterales, imo etiam extranei, atque ſic ex teſtamento quoque venientes, & ita quidem, ut hi omnes

modo hereditario defuncto ſuccedant, fœminæ autem hic excludantur, & ita

CARPZOVIUS *part. 3. c. 28. d. 11.*

recte à

STRYKIO *in citato examine Jur. feud. Cap. 15. qu. 10.*

diſſentiat: adſtipulatur

HORNIUS *allegat. tr. c. 4. §. 38.*

Addimus iccirco

f) præterea, quod opus ſit, ut ſucceſſio ad hæredes indiſtincte ſit extenſa

BERGER. *in elect. diſcept. forenſ. p. 1828. & ſeq.*

Addimus etiam

g) adhuc in hoc poſteriori caſu, ſi in inveſtitura dictum fuerit, maſculos & fœminas inveſtiri, daß Söhne und Töchter als rechte Erb-Lehns-Erben; oder auch, als rechte Lehns-Erben, belehnt werden, quod & hoc caſu fœminæ non admittantur, niſi demum deficientibus maſculis. Si vero

h) dictum, Maſculos & fœminas ſimul, vel pariter, item

i) Maſculos cum fœminis, prætermiſſa etiam vocula ſimul, item

k) fœminas cum maſculis, vel denique

l) tam fœminas, quam maſculos ſuccedere debere, quod tunc fœminæ cum maſculis in partes admittantur æquales, das Erb-Lehn wird auf die Kinder, als Söhne und Töchter, zugleich gebracht und verfället.

REICHENBACH. *c. l. §. 19. & annotat. (bb) (ii) (kk)*

CARPZOV. *part. 3. Conſtit. def. 14.*

Adjungimus denique

m) quod ad hæc feuda hereditaria, in quibus fœminæ ſuccedere poſſunt, etiam feuda pignoratitia, die Pfand-Lehn, ut & ea, quæ ſub pacto de retrovendendo emuntur, referantur.

CARPZOV. *part. 3. Conſt. 28. def. 10. n. 7. 8.*

In his igitur feudis hæreditariis, ſive nova, ſive antiqua ſint

GAIL.

GAIL. *libr.* 2. *obſ. pr.* 154. *n.* 10.

filio ex ea ratione, non licet repudiatio hereditatis, retento feudo; quia feudum ejusmodi videtur ſortiri naturam hæreditatis. Sicuti ergo nemo poteſt partem hæreditatis adire, & partem repudiare:

l. 1. & 2. *ff. de acquir. hered.*

ita non poteſt hereditatem repudiare & feudum, retinere, quaſi feudum non ſit pars hereditatis.

BALDVS, MARTINVS LAVDENSIS, ZASIVS & *multi alii apud* FACHINEVM *cit. loc.*

§. VIII.

Diximus autem, notetur bene, quod filio ſoli non liceat repudiata hereditate patris retinere feuda hereditaria, ſive antiqua ſive nova ſint: ipſi enim allegati Doctores in agnato aliter conſtituunt, ſcilicet, quod tanquam heres feudalis hereditatem defuncti ære alieno gravatam ad hoc, ut neque æs iſtud ſolvere, neque aliud defuncti factum præſtare teneatur, repudiare & feudum antiquum hereditarium tamen retineri poſſit; quia cum agitur de feudo paterno, agnatus heres extitit ſaltem primi acquirentis, & hoc dictis Doctoribus ſufficere viſum fuit. Aſſentiunt quoad conſuetudinem Germaniæ & praxin Cameræ Imperialis

GAIL. *cit. obſ.* 154. *n.* 18. *ibique* ZASIVS *allegatus, cum additamento: quod hoc, ut notatu dignum memoriæ commendandum ſit.*

§. IX.

Sed quæritur hic: annon filio plane nullum remedium ſuperſit, acerbitatem præſtandi facti paterni in feudo hereditario ejusmodi à ſe redimendi? & reſpondemus: quod omnino etiam hoc loco remedium adhuc adſit, ſcil. ſupra dicta regula limitatur ſingulariter: ſi beneficio inventarii à filio adita ſit hæreditas patris, quod tunc ultra vires hæreditatis paternæ creditoribus non obligetur, & feudum hæreditarium nihilominus retinere poſſit, quia utrumque acceptavit, & ſic diſpoſitioni juris feudalis ſatisfactum eſt: aſt, vi

Digitized by Google

ficialis aditionis cum inventario, ſupra vires hæreditatis conveniri non poteſt, de qua praxi Camerali iterum.

GAIL. *cit. loc. n. 16. cum permult. adduct.*

§. X.

Perſpecta nunc prima ſententia, convertimus nos etiam ad reliquas: quarum altera autem apud ſæpe dictum FACHINEVM eſt: regulam noſtram 2. *F. 45.* etiam de Feudo quod Doctores ex pacto & providentia vocant, veluti cum alicui & liberis ejus ſive deſcendentibus feudum datur, accipiendam eſſe. Quandoquidem vero definitio FACHINEI nimis arcta, nos potius practice deſcribimus feudum hoc ex pacto & providentia majorum, quod feudo priori mere hereditario contra diſtinguatur, & ſit feudum ejusmodi, quod non ſolum alicui pro ſe & deſcendentibus maſculis, ſed etiam (cæteris paribus, & prout inprimis ratione feudorum oblatorum in oblationibus pactum fuerit) agnatis de familia conceditur, hincque ein Stamm-Lehn vocetur

BESOLD. *theſaur. pr. voc.* Stamm-Lehn *cum adduct.*

ſive quod idem eſt: definimus eſſe feudum, in quo jure ſanguinis ſecundum diſpoſitionem juris feudalis,

uti VULTEIUS *apud Beſold. l. c.* habet

& ex pacto conſtituentium,

uti HORN. *Juriſpr. feud. cap.* 4. *§. 33.* addit

ſucceditur. De hoc igitur feudo, uti dictum, regulam noſtram aliqui etiam Doctores ex eo fundamento intelligunt, quia in feudo hæreditario res eſſet per ſe perſpicua filium non poſſe retinere feudum, & patris hæreditatem repudiare, cum feudum tunc pars hereditatis eſſet: aſt in feudo ex pacto & providentia peculiariter conſtitutione ſæpe allegata feudali, ne filii paterna hæreditate irreverenter repudiata, feuda conſequerentur, opus fuiſſe.

FACHINEVS *cit. loc. cum adduct.* ANDR. *de* ISERNIA *& permultis aliis.*

§. XI.

§. XI.

Tertia porro opinio Doctorum eſt: regulam noſtram ad iſtum caſum applicandam eſſe, ſi quis feudum ſimpliciter, nullaque filiorum vel heredum mentione facta, accipiat; & hanc addunt rationem, cum textus ſimpliciter de feudo loquatur, nullamque conceſſionis, vel pro heredibus, vel pro liberis faciat mentionem, ergo eodem modo, id eſt, generaliter & indiſtincte iſtum intelligendum eſſe.

FACHIN. *c. l.*

§. XII.

Quarta denique ſententia eſt, regulam ſæpe citatam de feudo pro heredibus, i. e. de feudo hereditario, quam pro filiis ſive deſcendentibus, i. e. de feudo etiam ex pacto & providentia majorum, accipiendam eſſe: addito hoc fundamento: cum textus generaliter & indiſtincte loquatur, ideo neceſſe eſſe, ut etiam de omni feudo, ſive pro heredibus, ſive pro liberis dato, interpretatio fiat; in quam ſententiam quartam ipſe Fachineus ſeſe procliviorem eſſe, ſimulque autem, cur filio non liceat hoc modo paternum feudum retinere, & hæreditatem repudiare, agnatis vero liceat, non facile invenire poſſe cauſam, confitetur, niſi quod Duarenus pietati, quam filius parenti debeat, quaſi inhumanum & injuriæ plenum ſit, repudiare ejus hereditatem, adſcribat; quodque Cujacius putet, patrem & filium à patre ſanguinen trahentem, repræſentare unam perſonam.

FACHIN. *late cit. loc.*

Et hanc ſententiam indiſtincte ſive feudum novum fuerit, ſive antiquum, ſive hereditarium, ſive ex pacto & providentia majorum non ſolum conſtitutio

Electoralis Saxonica 47, *part.* 2. *verb.*

Wir laſſen uns dieſe letztere Meinung gefallen, nemlich daß in unſern Landen der Sohn zugleich des Vaters Erbe ſeyn ſoll, wenn er ihm in Lehn folgen will, oder müſſe beydes zugleich verzeihen

CARPZOV. *ad dict. Conſt. def.* 5.

xccc.

Digitized by Google

recepit, ſed iſtam etiam in plerisque aliis Germaniæ terris Landſaſſiatui obnoxiis vigere

RICHTER *p. 2. deciſ. 79. n. 5. præter* HARTMANNUM *&* PISTORIUM *aliosque Doctores citatos, adſtipulari quoque JCtos Jenenſes & Helmſtadienſes*

teſtatur.

§. XIII.

Verum enim vero utcunque ſeſe res habeat hisque omnibus non obſtantibus, pro filio tamen & hic remedia ſuperſunt alia. Quæritur enim, an filius etiam in terris illis, ubi dicta regula 2. 45. recepta eſt, (excipe niſi alicubi ſimul per conſtitutiones provinciales, uti in Electoratu Saxoniæ expreſſe & beneficium inventarii ademtum) ſuccedens, & ad æs alienum ſolvendum, aliaque facta aſcendentis præſtanda obſtrictus per confectionem inventarii (uti iſtius praxin viridem in Camera Imperiali approbatam ſupra §. IX: de ſucceſſione in feuda hereditaria probavimus) de bonis allodialibus parentis, etiam hic ſibi conſulere poſſit, ne ultra vires hereditatis præſtare cogatur?

Et in genere omnino affirmativam hoc quoque in caſu defendimus. Quamvis enim non negemus SCHNOBELIUM ipſum

Diſputat. feudali VII. §. 24.

hanc quæſtionem dubiam admodum & ſpinoſam eſſe aperte confiteri, aliis affirmativam, aliis vero negativam tuentibus, prout videre licet apud

ROSENTHAL *de feud. C. 7. concluſ. 20.*

Inſuper negativa iterum, uti jam dictum, in dictionibus quoque

ELECTORATUS SAXONICI *per ſpecialem conſtitutionem provincialem ſupra allegatam 47. part. 2. apud* CARPZOV. *verb.*

„Wollen auch, daß alle andere diſtinctiones de confectione „inventarii dießfalls zu übergehen ſeyn,

comprobata ſit.

CARPZOV. *cit. Conſtit. def. 6.*

Atta-

Attamen

1) in puncto juris affirmativa noſtra, extra Electoratum Saxonicum, non ſolum de feudo ex pacto & providentia majorum, ſed etiam de feudo hereditario, ut ſupra ex

GAIL. *lib. 2. obſ. 154. n. 16:*

probavimus, juxta praxin Cameræ Imperialis verior eſt, licet SCHNOBELIVS citato loco hoc tantum de feudo ex pacto & providentia, non vero itidem, licet erronee, de feudo hereditario admmittat.

§. XIV.

His generalioribus rationibus præmiſſis, progredimur in noſtra probatione nunc etiam ad ſpecialiſſima; Antequam autem ad applicationem ad factum venimus, præſupponimus porro &

2) quod pari modo & non minus omnibus in controverſiis feudalibus exercitatis Jure Conſultis non ignotum eſſe poſſit, indecidendis controverſiis dictis feudalibus hunc modum procedendi neceſſario & pro forma obſervandum eſſe, ut prius literæ inveſtituræ inſpiciantur, & quidem antiquiores, quibus ante omnia ſtandum

2. Feud. 2. &

2. Feud. 12.

STRYK. *Exam. Juris feud. Cap. I. quæſt. 23. cum adduct.*

Si vero in his inveſtituris dubium deciſum non ſit, præſupponimus.

3) etiam quod notum ſit opus eſſe, ut ad ſpecialem obſervantiam & jura curiæ feudalis, ad quam feudum iſtud pertinet, recurratur.

STRYK. *c. l.*

GAIL. *2. obſ. 50. n. 15.*

Inſuper annotamus omnes JCtos uno ore confiteri, quod.

4) iſta terra ſ. regio, in qua feudum ſitum, accurate reſpicienda ſit:

STRYK. *cit. loc. qu. 25.*

HERTIVS *de colliſione LLgum. ſect. 4. §. 9.*

HORNIVS *Jur. prud. feudal. Cap. I. §. 39.*

 Et

Et hæc omnia ſine ullo dubio, & ita expediti juris ſunt, ut iſta etiam (cum NB. juxta infra porro allegatum GAILIUM *n.* 3. conſuetudo in materia feudali principem habeat locum) in Archidicaſteriis Imperii pro regula obſerventur, ſcil. ut hæc non ſecundum jura communia & Imperii, ſed juxta conſuetudines, aut etiam obſervantias provinciarum, ubi bona & feuda controverſa ſita ſunt, judicare debeant per jura notoria apud

STRUV. *Synt. Jur. Feud. Cap. I. aph. XII.* GAIL. 2. *obſ. 148. n. 3.*

HERT. *de feud. imp. C. 2. §. 2. in fine*

§. XV.

Quamquam autem quoad applicationem ad factum in terra Electorali Saxonica, & in aliquibus aliis provinciis Landſaſſicis hæc controverſia ſuper textum II. F. 45. allegato per conſtitutiones provinciales ſupra citatas deciſa, & hoc modo declarata ſit: quod hujus textus uſus quoad dictas Electorales Provincias Saxonicas, feudis, & NB. quidem tantummodo privatorum, relinquenda, & ibidem etiam illud ab Electore ſancitum ſit, ne filio in fraudem creditorum parentis liceat feudum cum hæreditate repudiare

perilluſtris Dn. de LUDOLF. *in tr. de jure fæm. illuſtr. Sect. II. membr. I. §. 9. n. 44. p. m. 86.*

Sed his hodiernæ praxi potius feuda aliter retinere nequeat, niſi & ſimul hæres patris eſſe, & omnia ejus facta præſtanda in ſe ſuſcipere velit.

Allegat. STRUV. *in S. J. feud. Cap. 13. aph. 16. & Cap. 14. aph. 30.*

CARPZOV. *p. 2. C. 47. def. 5. 6. & Conſtit. 48. def. 9. & 12. cum* adduct:

Hæc tamen jura Electoralia Saxonica, uti jam dictum, nequaquam ad feuda noſtra quæſtionis Dominorum actorum ex his rationibus applicanda, quod

5) hæc dicta bona feudalia in multis pagis conſiſtant, & non ſolum peculiare immediatum territorium ſive dynaſtiam

ipſa

ipſa conſtituant, ſed etiam jura ſeparata territorii, quæ ipſa & omnia, tam Epiſcopali ſumma, quam inferiora Eccleſiaſtica, Centenam etiam, omnemque aliam jurisdictionem & regalia quævis dynaſtiæ ejusmodi congrua annexa habeant; quodque.

6) iſta bona immediata etiam ante oblationem in feudum antiqua fideicommiſſa gentilitia, & ſub longe aliis conditionibus in feudum oblata fuerunt, & adhuc antiqua fideicommiſſa, feudaque gentis perilluſtris ex pacto & providentia majorum.

7) præterea & extra Saxoniam, & in meditullio fere terræ Imperii & Franconiæ ſita ſint, ſicque ratio ſana dictet, quod, uti dictum, particulares conſtitutiones provinciales, quæ Saxoniam Electoralem & alias plures terras Landſaſſicas ligant, nullo modo Franconicas terrasque Imperii, aut alias etiam provincias, ligare poſſint, quin potius in Franconia & aliis terris Imperii plane aliud obtineat, & quod

8) in praxi Camerali receptum ſit, ut filio in provinciis Imperii, extra Saxoniam, permittatur, repudiata hereditate paterna feuda antiqua retinere, & ita in dicta Camera Imperiali judicari, quemadmodum uno ore ſummi JCti & partim duorum Archidicaſteriorum Imperii membra eminentiſſima.

GAIL. *L. 2. obſ. 128, n. 17. 18. 19. ibi n. 2. verb.* quod filius habeat beneficium abſtinendi paterna hereditate, & num. 17. quod ſuccedat vigore pacti NB. non ut hæres, in feudis antiquis familiæ in Stamm-Lehn.

Et *obſ. 154. per tot.*

MYNSING. *Cent. 3. obſ. Camer. 6. ibi n. 5. verb.* in feudo ex pacto & providentia filius repudiata hereditate ſuccedit.

& centur. 4. obſ. 2.

Per illuſtris Dn. de LUDOLF. *in tract. de jure fam. illuſtr. Sect. II. membr. I. pag. m. 85. ſeqq. & confer. ejusdem tract.*

Digitized by Google

tract. de Introductione Iur. primogen. part. ſpec. aph. 6. n. 6. ſeq. & n. 11.

ROSENTHAL. *7. concl. 20. & 21. n. 5. ubi præjudicia affert Cameræ Imperialis.*

LYNCKER. *Analect. ad Struv. J. F. cap. 9. aph. 11.*

teſtantur, ibi enim hæc memorabilia verba habet; quod in ipſis quoque Scabinatibus Saxonicis, extra terras Saxonicas, pronuncietur: Daß ein Sohn, vermöge der Rechten NB. ſo in Kayſerlichen Cammer-Gerichte üblich, ſeiner väterlichen Verlaſſenſchafft ſich entſchlagen, und nichtsdeſtoweniger ſein altväterliches Stamm-Lehn behalten möge, dabey er die väterlichen Schulden abzutragen unverbunden.

Ex his autem patet, quod &

9) per conſequens filius nec ad æs alienum, nec ad aliud factum & conventionem qualemcunque parentis in præjudicium feudi, ſi inprimis conſenſus Domini directi deficiat, obligetur

per cit. LYNCKER. *Deciſ. 704.*

Quid quod 10) ipſe JCtorum Saxonicorum maximæ ubique in praxi autoritatis ſæpe allegatus

CARPZOV. *p. 2. C. 47. def. 4.*

Ad hunc finem etiam ibidem HARTMANNO, PISTORIO LUDOVICO FACHSIO, MATH. COLERO & BENED. REINHARDO adductis non minus adſtipuletur, cum ibidem vi jurium feudalium receptorum communium decidat: quod in foro Saxonico, ſcil. communi, extraque Electoratum, filius repudiata patris hereditate, feudum retinere poſſit;

verb. ibid. præjudicii:

Daß vermöge allgemeiner Land-üblichen Sächſiſcher Rechte, den Söhnen ſich ihres väterlichen Erbes zu äuſſern, und der Altväterlichen Stamm-Lehn-Güther anzumaſſen unbenommen ꝛc.

Imo, quod & eadem

part. 1. Conſt. 48. def. XI.

Pro 11) multo adhuc memorabiliori modo concedat: Extra Saxoniæ Electoratum filios, qui non eſſent patris heredes,

redes, feudum ab ipſo alienatum bene revocare poſſe, & hanc doctrinam *ibid. n.* 2. communem Doctorum opinionem appellet, à qua, extra Saxoniam, non recedendum ſit.

§. XVI.

Quæ cum ita ſint pro 12) reſponſum JCtorum Helmſtadienſium Menſ. Febr. 1633. datum, àque REICHENBACHIO *ſæpe allegato in not.* (z) *ad diſputationem VII. §. 23. Schnobelianam* adductum, & ab ipſo tanquam elegans & ut plane erroneum, ac contra jura adducta Imperii nimia libertate de contraria praxi Camerali atteſtans, dum verba ejus ita ſe habent:

Obzwar Beklagte ihres Vaters D. R. von Landsberg ſeel. hereditæt repudiirt, und dahero dem Anſehen nach, als heredes ad reaſſumendam litem cum patre cœptam nicht citirt werden können: Alldieweil aber den allgemeinen Lehn-Rechten und natürlichen Billigkeit ähnlicher, ſolches auch bey der höchſten Juſtiz, als am hochlöblichen Käyſerl. Cammer-Gericht nunmehr unſtreitig gehalten wird, quod filius nullum feudum, ſive ſit ex pacto & providentia, ſive hereditarium, ſine onere retinere & patris obærati hereditatem repudiare poſſit, cum filius ad feudum admitti nequeat, niſi per patrem & ejus miniſterio: So kan von Beklagten dieſe exceptio, quod non ſint heredes allodiales, Klägern in hoc caſu mit Beſtand nicht opponirt werden, ſondern müſſen entweder die Beklagte 2000. rthlr. woferne die bona allodialia nicht ſufficient, bezahlen, oder geſchehen laſſen, daß die Execution in die Lehn-Güther geſchehen, und Klägere ex fructibus feudalibus ſich dieſerwegen bezahlet machen möchten. V. R. W.

merito non approbamus.

§. XVII.

Præterea etiam argumenta, quæ contra filios in terris Imperii extra Saxonicum Electoratum repudiantes, aut beneficio inventarii utentes, adducuntur, nequaquam ſunt

 ejus-

ejusmodi momenti, ut ad introductionem alius praxeos ſumma Imperii Archidicaſteria movere poſſint. Nam licet opponatur, quod filius quoad feuda, non niſi mediantibus patris & aliorum aſcendentium perſonis nanciſcantur: tamen

13) hoc falſiſſimum in terris Imperii Franconiaque eſt, cum ibi filius nobilis immediatus neutiquam nec patris, nec alius aſcendentis perſona intermedia, uti in Saxonia Electorali, vid.

CARPZOV. *part.* 2. *C.* 48. *def.* 12. *n.* 3. *&* 4.

ſed ex ſolo beneficio primi acquirentis in feudis ſuccedat. idem

CARPZOV. *cit. part.* 2. *C.* 48. *def. XI. cum adduct.*

aut uti GAIL. *Libr.* 2. *obſ.* 154. *n.* 2. exprimit:

Ad feudum antiquum proprio & ſanguinis jure exque pacto & legis providentia, non judicio teſtatoris, vel beneficio Vaſalli defuncti, ſed primi acquirentis vocetur. Parili ratione & altera objectio: quod res eſſet ſummæ injuſtitiæ & pernitioſæ conſequentiæ, ſi ejusmodi filio nobili immediato Franconico permittatur, feuda ex pacto & providentia majorum & antiqua retinere, repudiato allodio aſcendentium, cum hoc injurioſum ſit aſcendentibus nec non creditores, & alii, qui cum iſtis aſcendentibus forte contraxerunt, hoc modo multis fraudibus & periculis exponerentur, plane nullius eſt momenti, ſed & hic ſalva res eſt. Nam

14) reſpondetur etiam invertendo iſtam objectionem, meliori jure, imo: ſcilicet, rem ſummæ eſſe injuſtitiæ & pernitioſæ conſequentiæ, ſi quis nobilitati fideliſſimæ imperii beneficium legum, aut inventarii ſine ulla cauſa adimere, & laudatam nobilitatem ruinæ exponere vellet, quo minus Sacræ Cæſareæ Majeſtati & imperio in bello & pace amplius præſtanda præſtare poſſit; accedit

15) quod nobilis filius iis, quæ jura permittunt, utens, per iſta jura notoria nemini, nec etiam aſcendenti, faciat injuriam, quodque

16) conſervatio bonorum illuſtrium familiarum debeat

præ-

Digitized by Google

prævalere, ne primi acquirentis laudabiliſſimæ intentioni proviſionique in utilitatem poſterorum factæ injuria fiat; imo: quod

17) contrahenti cum nobile immediato imperii non difficile eſſe poſſit, melioris ſecuritatis gratia de extrahendo conſenſu Domini directi & agnatorum paciſci. Quando ergo his neglectis, tamen contrahens iſte in negotio pergit, & damnum ſentit, habeat ſibi, cum damnum, quod quis ſua culpa ſentit, non ſentire videatur.

per vulgar.

§. XVIII.

Jactis igitur his fundamentis ex juribus practicis terrarum imperii & per conſequens indubitanter etiam Franconici, pergimus

18) nunc etiam porro in applicatione ad factum: addimus autem, quod in actis per antiquum inſtrumentum ſolenne notariale probaverimus in caſu noſtro Franconico Dominorum Actorum patrem & fratres innumeris nocivis & plane ruinam omnium bonorum gentis ſuæ minantibus factis aſcendentium gravatos, beneficio hujus juris repudiationis allodii & retentis feudis antiquis ex pacto & providentia majorum ſaluberrime ante longiſſimum tempus uſos fuiſſe, verbis Inſtrumenti in Actis citati ſic ſeſe habentibus:

Daß er (repudians ſcil. filius) die vorhandene uralte Stamm- und Mann-Lehn, ſo ſich dieſes mahl befinden, und NB. noch künfftig zu gewarten ſtehen, als ein Beneficium, ſo ihm von dem erſten Erwerber und primo Acquirente erlanget, angeſchaffet, und mit Abſterben ihres ſeel. Herrn Vaters ohn diſputirlich auf ihn und übrige ſeine Gebrüder devolviret worden, in qualität uralter Stamm- und Mann-Lehn apprehendiren und antreten; So viel das Eigenthum aber anbelanget, es ſey beweglich oder unbeweglich, wenig oder viel, hier oder anderswo, geſucht und ungeſucht, qualitate heredis nicht betreten, berühren, ſondern davon gäntzlich abſtiniren, und am geringſten darmit nicht implicirt, oder vermiſcht, in iſtum effectum auch

NB.

NB. die Schlüſſel ſolenniter auf das Grab zu legen gemeynet ſey (de hoc ritu vid. WELM. *Obſ. pract. voc.* **Schlüſſel oder Gürtel aufs Grab legen**, *cum adduct.*) Geſchehen und verhandelt ſind dieſe Dinge, als obvermeldet ꝛc. ꝛc.

